Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 255
Quelle:
Copyright:

quos de gradibus in facultate perceptis eidem debuit, coram tota facultate existente obtulit. Itaque credi posset, *Commentaria* haec praelecta fuisse in nova hac Studiorum Universitate, quam agente potissimum *Joh. Vitezio* Archiep. *Strigon.* instituit magnus ille Rex *Mathias*, nisi Institutio primum in annum 1467. caderet, ut habes in *Memoria Academiae Istropolit. Xysti Schierii* Eremitae *August. Vien.* 1774. 4. cujus Opusculis eruditis et jam inventu difficilibus novus sane Collector et Editor optandus foret. *Viennae* igitur Cathedram ornavit *Obrechtus* noster patriam nactus Toparchiam non procul dissitam *Cremsio* infer. *Austriae;* an vero inter majores *Obrechtorum*, qui deinceps *Argentinae* claruerunt, fuerit, dicere non habeo. In Academia nostra magistratum, quod sciam, nullum gessit. Quid a mox soluta *Istropolitana* cum eo actum, non constat; *Schierii* enim in mox citata *Memoria* diligentiam fugit.

CLXXI.

U. 146 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 298. f. per duas columnas bene scriptus, et minio distinctus est *Lectura* scholastica in *D. Matthaei Evangelium*, cujus Προλεγομενα incipiunt: *In exordio actus presentis tria sunt per me facienda. Primo diuini auxilij invocacio* &c. Reliqua duo, ut mos ferebat, sunt S. Scripturae Laus, et quaedam Lectoris de se ipso. Exposito dein *Hieronymi* Prologo ad ipsum Textum sic accedit Noster: *Liber generacionis* &c. *Hic incipitur tractatus qui dividitur in 4. partes principales secundum quatuor que regalem decent et magnificant dignitatem scilicet genealoya sapientia potencia et clemencia* &c. Extrema sunt: *Pondera igitur elementorum non probibent quin corpora nostra talia possint habitare in celo. Amen.* Addidit Librarius: *Expliciunt concordancia passionum Mat. Marc. Luce et Joh.* Nec immerito; in postremis enim maxime *Capitibus* Loca harmonica aliorum Evangelistarum *Matthaeo* adhibentur. *Fol.* praevio quaedam leguntur inscripta: *Ex collectis magistri Jacobelli* (de Misa) *heretici, qui ponit necessariam esse communionem sub vtraque specie licet hic de hoc nihil habeatur, sed de confessione.* Et re ipsa *secretam* sive auricularem astute suffodit, unde ad marginem monuit Possessor quidam Codicis: *Vide caute, venenum latet;* et p. 2. *Nota iste liber venit de bohemia, sis igitur cautus in eo legendo uel studendo.* Ego vero Locis de Clavium potestate, de Paupertate Apostolorum, et institutione S. Coenae examinatis nihil ab Ecclesiae nostrae sensu alienum deprehendi.

CLXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 137
Folior. 435. f. currente calamo perscriptus, et rubricis enotatus, olimque, ut anterior Theca praefert, legatus *ad librariam domus collegij ducalis Wienne apud fratres*